



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Sacrilegio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

genda Canonibus sit statuta. *Diaz. in prax. vers. incendiarii. Quomodo verò jure Civili incendiarii puniantur, vid. Aphorism. nost. in ff. tit. de incend. ruin. nauis.*

De Sacrilegio.

TIT. XXVI.

Sacrilegium est, quotiens quis sacrum violat, aut auferendo sacrum de sacro; vel sacrum de non sacro; vel non sacrum de sacro. *c. si quis contumax. & c. quisquis. 17. qu. 4. Contra l. Divus. ff. ad Leg. Jul. pecul.*

Committitur vel *in rebus*, vel *in personis Ecclesiasticis*.

In rebus; ut Ecclesiam infringendo, vel quippiam circa eam intra triginta passus diripiendo, vel inde auferendo, aut injuriam inferendo, prædia Ecclesiastica invadendo, venando. *c. quisquis. 17. qu. 4. c. prædia. 12. qu. 2. c. definiuit. 17. qu. 4.*

In personis, manus violentas, Clericis, vel aliis personis Ecclesiasticis injiciendo, pulsando, vinciendo, verberando, aliâque injuriâ afficiendo. *c. si quis suadente Diabolo. c. quisquis. & c. si quis. 17. qu. 4.*

In personis, aut earum vestibis, *Gloss. in d. c. si quis suadente. Innoc. in c. nuper. de sent. excomm.* commissum, excommunicatione majore punitur; à qua non nisi à Pontifice absolutio concedi potest. *d. c. si quis suadente.*

In rebus commissum, variè, prò modo sceleris admissi facinorisve perpetrati, nisi satisfactum sit, aut de satisfaciendo plena securitas data, punitur: nunc enim sacrilego beneficium pœnitentiæ penitus denegatur, nunc anathemate vincitur, *Dd. in c. conquestus. de foro comp. & c. conquesti. de sent. excom. c. si quis contumax. 17. qu. 4.* nunc perpetua damnatus infamia carceri traditur, aut exilio perpetuæ deportationis & depositionis animadversione coercetur, *c. attendendum. 17. qu. 4. c. prædia. & c. quicumque. 12. qu. 2.* aliquando & pecuniaria pœna mulctatur. *d. c. si quis contumax.*

Hæc

Hæc eis persolvenda est, ad quos sacrilegii querimonia pertinet. *d. c. quisquis. 17. qu. 4.*

Possunt Sacrilegi, sub utroque Judice, tam Ecclesiastico, quàm Seculari, conveniri & damnari. *e. cum sit generale. c. 8. de foro comp. l. si quis in hoc. C. de Episc.*

Eisdem pœnis, quibus sacrilegi, & puniuntur participes & administri eorum. *c. 2. de raptor.*

Presbyteri, ipsis, sive in vita, sive in morte, pœnitentiam dantes, vel sepulturæ eorum intervenientes, vel ab eis eleemosynas recipientes, deponuntur, & Ecclesiastico beneficio irrecuperabiliter privantur. *d. c. 2. circa fin.*

De Usuris.

TIT. XXVII.

Sequitur *de Usuris*: quia cum Rapina & Furto tantam affinitatem habet Usura; ut qui usuram accipit, rapinam facere dicatur. *c. si quis usuram. 14. qu. 4.*

Quare & peccat qui usuras accipit, non qui solvit: *c. debitores. de jurejur.* qui usuras accipere non esse peccatum pertinaciter asserit, ut hæreticus punitur. *Clem. un. §. fin. de hæret.*

Usura, hîc est, quicquid ultra sortem principalem, seu debitum, creditor, ratione mutui ex pacto, vel præcedente sua intentione, accipit. *c. fin. hic. c. putent. & fere tota 14. qu. 5.*

Si quid ergò sorti & lucro creditoris accedat, præter ejus fœnerandi intentionem, usura non erit. *Panorm. ad rubric. hic. Gloss. in c. consuluit. 10. ad verb. sperantes. hic.*

Est usura vel *Conventionalis*, de qua expressè convenit; vel *Mentalis*, cum aliquis eâ mente contrahit, ut aliquid ultra sortem recipiat, omni conventionem cessante. *c. consuluit. 10. hic. c. usura est. 14. qu. 3.*

Utraque prohibita est, *d. c. Consuluit. ubi Gloss. & Panorm. ad c. cum in tua. hic.* in mutuo vero, vel præsumto; *Canon. per c. consuluit. & c. navigante. ubi Panorm. num. 6. & alii. hic. Gloss. ad c. 1. ad verb. plus. 14. qu. 3. Domin.*